Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

et tunc tanquam rivuli aperti ceperunt moveri et diffundi, quos cum prius in se esse non sensissent. Tunc aperti sunt et cognoverunt eos. Et sicut inobedientes fuerunt suo superiori, sic et moveri membra ceperunt contra suum superiorem, id est rationem. Et primum motum concupiscentie contrarium rationi senserunt in genitalibus, et sua contra se moveri videntes erubuerunt. Unde et illa pudenda dicta sunt. Cetera quidem membra ad nutum hominis stant aut moventur: pudenda non, quia vero hec est porta propaginis et inobedientia membrorum est, quasi signum inobedientie parentum scriptum est in porta. Et cognoverunt se nudos, id est disconvenire pudenda, id est erubuerunt videri pudenda. Tamen Iosephus tradit scientiam cognoscendi se nudos et intelligendi confusionem suam habuisse ex esu ligni, qui hunc effectum naturaliter habebat, dicens: Illa namque plantatio causa acuminis erat et intellectus.

De maledictionibus serpentis.

Qui cum fecerunt sibi perizomata, id est succinctoria, que breves brachas vel campestria, nec sine causa de foliis ficuum, quia de succo earum irritatur caro hominis iuncta. Statim ibi sentit pruriginem, ut quasi per hoc ostensum sit quia pruriginem voluptatis iam senserant in carne. Hinc quidam dicunt ficum fuisse arborem prohibitam. Et audierunt vocem domini deambulantis, vel et ipso motu suo iam videntur eos arguere, quia non steterant in precepto. Loquebatur autem eis per subiectam creaturam. Et absconderunt a facie dei se in medio lignorum. Vocavitque dominus virum, scilicet cui dederat preceptum, et increpando non ignorando ait: Ubi es? Quod est: vide in quam miseria es. Qui ait: Abscondi me quia nudus eram. Stulta responsio, quasi displiceret nudus quem talis fuerat factus. Et ait dominus: Quis hoc tibi indicavit, nisi quia de ligno comedisti? Ille vero non humiliter confitens, sed peccatum in uxorem retorquens, immo et in ipsum creatorem mulieris ait: Mulier quam mihi dedisti sociam, dedit mihi de ligno et comedi. Et ad mulierem ait: Quare hoc fecisti? Nec ipsa se accusavit, sed obliquavit peccatum in serpentem, tacite vero in auctorem serpentis. Serpens non interrogatur, quia non per se hoc fecerat, sed dyabolus per eum, et maledictiones eis incepit a serpente, ordinem servans et congruum maledictionis numerum. Serpens enim et prior et plus peccavit, quia in tribus; mulier post et minus eo, sed plus viro, quia in duobus; homo postremo et minus, quia in uno. Serpens invidit, mentitus est, decepit. His tribus tres reddite sunt maledictiones. Quia invidit hominis excellentiam, dictum est ei: Super pectus tuum gradieris. Quia mentitus, punitus est in ore: terram comedes omnibus diebus vite tue; immo abstulit ei vocem et posuit ei venenum in ore. Quia decepit, accepit hoc: Inimicicias ponam inter te et mulierem. Hic innuitur quod quia

penituit, ipsa conteret caput tuum, quod naturaliter species servat, qui sedem vite; et tu insidiaberis calcaneo eius maxime. Et sic sicut naturale est odium inter equos et grifes, lupos et canes, sic inter hominem et serpentem. Sicut enim venenum serpentis hominem, sic sputum hominis ieiuni perimit serpentem. Et quia adhuc nudi erant, serpens magis hominem nudum timet et fugit quam indutum vestitum. In duobus peccavit mulier: superbivit et vetitum comedit. Quia superbivit, humiliavit eam dicens: Sub potestate viri eris, violenta, ut in vulneribus te affligat in defloratione. Nunc quidem subiecta est viro suo conditione et timore, que prius tamen subiecta fuerat, sed amore. Et quia in fructu peccavit, in fructu suo punita est. Unde dictum est: In dolore paries. Quod dictum est in dolore, maledictio est; sed paries, benedictio est. Maledicta enim est sterilis. Et ita in puniendo non est oblitus deus misereri. Quod et in aliis maledictionibus hominum notandum est. Adam quia in solo esu peccavit, in labore sui eduli querendi punitus est, sic: maledicta terra in opere tuo, id est pro opere, id est pro peccato, propter quod factum est ut terra que prius uberes fructus sponte et bonos faciebat, deinceps raros nisi sine hominis labore, et quandoque pro fructibus spinas et tribulos germinat. Et addidit: Et comedes herbas terre, quasi in hoc parcens iumento. Terre autem maledixit quia de fructu terre transgressio facta est, et non aquis; unde est quod dominus comedit piscem, sed non legitur comedisse carnem viventium de terra maledicta, nisi de agno paschali propter preceptum legis. Addidit quoque de labore: In sudore vultus tui vesceris pane tuo donec in terram revertaris, id est donec moriaris, quia terra es et in terram ibis. Pulchre dictum est ibis, quasi si in eodem statu stetisses, donec transires in melius, si velles; modo de miseria in miseriam ibis more fluentis aque. Et tunc Adam plangens miseriam posteritatis, vocavit uxorem suam Evam, ut dictum est supra capitulo. Et imposuit.

De eiectione hominis de paradyso et de rumphea ignea.

Fecit deus itaque Ade et uxori sue tunicas pelliceas, id est de pellibus mortuorum animalium, ut secum signum sue mortalitatis ferret. Et ait: Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est. Yronia est, quasi voluit esse ut deus, sed in evidenti est modo quia non est. Nec est vox dei insultantis, sed nos a superbia corrigentis, et vox est trinitatis, ut vox dei ad angelos, et est vox plangentis. Quod patet, quasi factus esset talis ut esset quasi unus ex nobis si stetisset. Nunc ergo ne forte mittat manum suam et sumat de ligno vite et comedat et vivat in eternum. Aposiopesis est, quasi videte vel cavete vel eicite eum. Est. Dura videtur dei sententia que penis predictis penam eiectionis addidit, sed econtra est. Hinc enim penam

Deutro. vii.

Abacuc. iii.

Iohannes xx.

Infra in evangelio capitulo prima autem die azymorum.

Yronia est quando aliquem vituperando laudamus.

Quod dictum est vivat in eternum, ad opinionem hominis referendum est, quasi diceret hac comedat ut vivat in eternum, ut eternum accipiatur pro multo tempore. Quidam tradunt eum fuisse vii horis in paradyso.